



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De mortuo, qui eleemosynas praeposuit orationibus, cap. 32.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

APOLLONIVS: Miror vtrū plus mortuis valeāt orationes vel eleēmofynæ. CÆSARIVS: Audi de hoc solutionem cuiusdam mortui.

CAPVT XXXII.

Quidam post mortem amico suo apparens, cum ab eo interrogaretur, vtrū sibi magis vellet impendi orationes siue eleēmofynas. Respondit: Eleēmofynas, eleēmofynas; orationes enim tepidæ sunt. Hic deuotè justorum orationes* excluduntur, quæ penetrant cœlos. APOLLONIVS: Quid sentis de Missis? CÆSAR. Nulla oratio, nulla eleēmofyna, ad ereptionem animarum, Missæ potest comparari. In Missa Christus orat, cuius corpus & sanguis eleēmofynæ sunt. Has eleēmofynas pauper quædam anima sibi dari post mortem rogauit, sicut sequens docet exemplū.

CAPVT XXXIII.

Adolefcens quidam nobilis ad Claramuallem veniens, receptus est in Conuersum: qui non alta sapiens, sed humilibus consentiēs, ad quædam grāgiam missus, factus est ibi opilio ouium. Qui cum die quadam oues sibi commissas in agro pasceret, apparuit ei quidam suus consobrinus in adolescentia sua defunctus, de cuius inopinato aduentu dū admiraretur & diceret: Vnde tam citò aduenis, & quid quæris? Respondit ille: Mortuus sum, & pœnis maximis crucior. Et Conuersus: Poteris iuari, necne? Respondit: Si potero habere tres Missas in ordine vestro, mox liberabor. Audiens hoc Conuersus, cum licentia magistri sui ad Clarauuallem festinauit, & quid viderit vel audierit Priori reuelans, tres Missas, iā dicto impendi defuncto, eius gratiā supplicauit: cui Prior grātanter annuens respondit: Ego vnā celebrabo, alias duobus sacerdotibus iniungam. Dictis verò Missis, mortuus iterum Conuerso apparēs in prædicto agro, gratias egit, & dixit: Beneficio trium Missarum, quæ pro me dictæ sunt, ab omnibus pœnis meis liberatus sum. Nec mirari debes, si tantum valet Dominici corporis immolatio, cū quibusdam animabus ad liberationem proficit breuis verborum absolutio.